

VII. Clemens V. an Philipp den Schönen. 1311 Nov. 29.

Or. Paris, Archives nationales J. 295 n. 38.

Clemens episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo regi Francorum illustri salutem et apostolicam benedictionem.

(1) Dudum, dum adhuc in comitatu nostro Veneysini residentiam faceremus, dilectus filius Guillelmus de Plasiano tue celsitudinis miles et nuntius cum litteris tuis credentiam continentibus ad presentiam nostri^a apostolatus accedens, nobis quasdam tuas patentes litteras presentavit, que inter alia continebant, quod tu confederationem, unionem et pacta, que inter tuos et carissimi in Christo filii nostri Henrici regis Romanorum illustris nuntios extiterant inita, integraliter iuxta modum et formam per nos a serenitate tua petitos laudabas et etiam approbabas¹. Super quo tui alti consilii deliberationem providam et providentiam circumspectam multipliciter in Domino commendamus. Verum litteris aliis super eodem negotio per nuntios prefati Romanorum regis, que in aliquibus substantialibus ab eisdem tuis patentibus litteris dicebantur per eundem tuum militem discordare², quarum tenorem tibi transmisisse meminimus, nostro apostolatu presentatis, prefatus miles reputans, per huiusmodi litteras dicti Romanorum regis sufficienter non esse provisum, a nobis recuperare voluit tuas litteras supradictas. (2) Nos vero, qui summo desiderio concupimus, ut inter te ac regem predictum fructus iocunde pacis succrescant uberes et salubres, verisimiliter dubitantes, ne inimicus homo, qui latius ibi consuevit iniquitatis sue venena diffundere, ubi se magis extimat obfuturum, inter te ac regem prefatum, si dictum negotium, quod dirigente misericordia summi regis terminatum utiliter creditur et speratur, alicuius protractionis suspecte nocumentum incurreret aut separationis, quod absit, susciperet detrimentum, amarissime zizanie semina, quod avertat Altissimus, germinaret, ac volentes providere periculis et occurrere scandalis, que ex huiusmodi protractionis vel separationis eventu proventura possunt non immerito formidari, tuas

a) 'i' auf Rasur Or.

1) Gerade hierzu werde ich aus dem Vatikanischen Archiv neues Material vorlegen. Die Ratification der Vertragsurkunden durch Philipp von 1311 Jun. 14 siehe übrigens oben S. 588 n. XIV. Vgl. noch den Brief des Papstes an Heinrich VII. von 1311 Dec. 18. Bonaini I, 209 n. 132. 2) Was hier gemeint ist, werde ich an andern Orte darlegen. Vgl. oben S. 588 Anm. 1.